Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones CXXIIII - Cod. Aug. perg. 47

**Augustinus, Aurelius**

**[Reichenau ?], [14. Jh.]**

Sermo LXXIIII

urn:nbn:de:bsz:31-64194

Visual Library

# INCIPIT SERMO LXXIIII DE EO QUOD DICIT SI DILIGITIS ME MANDATA MEA SERUATE USQ. AD UOS AUTEM COGNOSCETIS EUM QUIA APUD UOS MANEBIT ET IN UOBIS ERIT.

Audiuimus fratres cum euangelium legeretur dominum dicentem; Si diligitis me mandata mea seruate. et ego rogabo patrem et alium paraclitum dabit uobis ut maneat uobiscum in aeternum. spiritum ueritatis quem mundus non potest accipere. quia non uidet eum nec scit eum; Uos autem cognoscetis eum quia apud uos manet et in uobis erit; Multa sunt quae in istis paucis uerbis domini requirantur. sed multum est ad nos uel omnia quae hic quaerenda sunt quaerere. uel omnia quae hic quaerimus inuenire; Uerumtamen quantum nobis dominus donare dignatur pro nostra et uestra capacitate quid dicere debeamus et quid audire debeatis adtendite per nos carissimi quod possumus sumite. et ab illo quod non possumus poscite; Spiritum paraclitum christus promisit apostolis; quo autem modo promiserit aduertamus; Si diligitis me inquit mandata mea seruate. et ego rogabo patrem et alium paraclitum dabit uobis. ut maneat in aeternum uobiscum spiritum ueritatis; hic est utique in trinitate spiritus sanctus quem patri et filio consubstantialem et coaeternum fides catholica confitetur. ipse est de quo dicit apostolus. Caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis; Quomodo ergo dominus dicit. Si diligitis me mandata mea seruate. et ego rogabo patrem et alium paraclitum dabit uobis. Cum hoc dicat de spiritu sancto. quem nisi habeamus. nec diligere deum possumus. nec eius mandata seruare. quomodo diligimus ut eum accipiamus. quem nisi habeamus. diligere non ualemus. quomodo mandata seruabimus ut eum accipiamus. quem nisi habeamus. mandata seruare non possumus. An forte praecedit in nobis caritas qua diligimus christum. ut diligendo christum eiusque faciendo mandata. mereamur accipere spiritum sanctum. ut caritas non christi quae iam praecesserat. sed dei patris diffundatur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. peruersa est ista sententia; qui enim se filium diligere credit et patrem non diligit. profecto nec filium diligit. sed quod sibi ipse confinxit. deinde apostolica uox est. Nemo dicit dominus iesus. nisi in spiritu sancto; et quis dicit dominum iesum nisi qui eum diligit. Sic eo modo dicit quo intellegi apostolus uoluit. multi enim uoce dicunt. corde autem et factis negant. Sicut de talibus ait. Confitentur enim se nosse deum factis autem negant; si negatur factis. procul dubio etiam dicitur factis; nemo itaque dicit dominus iesus animo. uerbo. facto. corde. ore. opere. nemo dicit dominus iesus nisi in spiritu sancto. et nemo sic dicit. nisi qui diligit; Iam itaque apostoli dicebant dominus iesus. et si eo modo dicebant ut non ficte ore confitentes. dicerent corde et factis negantes.

prorſuſ ſi ueraciter hoc dicebant. procul dubio diligebant; quomodo igitur
diligebant. niſi in ſpu ſco. & tamen eiſ priuſ imperatur. ut diligant eum & eiuſ
mandata conſeruent ut accipiant ſpm ſcm. quem niſi haberent. profecto di
ligere & mandata ſeruare non poſſent. Reſtat ergo. ut intellegamuſ ſpm ſcm
habere qui diligit. & habendo mereri ut pluſ habeat. & pluſ habendo pluſ diligat;
Iam itaq. habebant ſpm diſcipuli quem dnſ promittebat. ſine quo eum dnm n̄
dicebant. nec tamen eum adhuc habebant ſicut eum dnſ promittebat; & habe
bant ergo & non habebant. qui quantum habenduſ fuerat. nondum habebant;
habebant itaq. minuſ. danduſ erat eiſ ampliuſ; habebant occulte. accepturi fue
rant manifeſte. quia & hoc ad maiuſ donum ſci ſpſ pertinebat. ut eiſ innoteſce
r& quod habebant; De quo munere apoſtoluſ loquenſ ait; noſ autem non ſpm
huiuſ mundi accepimuſ. ſed ſpm qui ex dō eſt. ut ſciamuſ quae a dō donata ſunt
nobiſ; nam & ipſam manifeſtam inpertionem ſpſ ſci non ſemel ſed biſ numero
dnſ egit; mox ut enim reſurrexit a mortuiſ. inſufflanſ ait; Accipite ſpm ſcm.
numquid igitur quia tunc dedit. ideo non miſit & iam poſtea quem promiſit.
aut non idem ipſe eſt ſpſ ſci qui & tunc eſt inſufflatuſ ex ipſo. & poſt ab ipſo
miſſuſ e caelo. quapropter cur ipſa quae facta eſt euidenter donatio eiuſ. biſ
facta fuerit. alia quaeſtio eſt; fortaſſiſ enim propter duo praecepta dilectioniſ.
hoc eſt proximi & di. ut commendar&ur ad ſpm ſcm pertinere dilectio. haec eiuſ
gemina eſt in manifeſtatione facta donatio; & ſi alia cauſa quaerenda eſt.
non nunc eiuſ inquiſitione in longiorem quam oport& modum ſermo iſte
mittenduſ eſt. Dum tamen conſt& ſine ſpu ſco xpm noſ diligere & eiuſ man
data ſeruare non poſſe. & id noſ poſſe atq. agere tanto minuſ. quanto illum per
cipimuſ minuſ. tanto autem ampliuſ. quanto illum percipimuſ ampliuſ; pro
inde non ſolum non habenti. uerum & iam habenti non incaſſum promittitur;
non habenti quidem ut habeatur. habenti autem. ut ampliuſ habeatur; nam
niſi ab alio minuſ. ab alio ampliuſ haber&ur. ſcſ heliſeuſ ſco heliae non dicer&;
ſpſ qui eſt in te. duplo ſit in me; quando autem ait iohanneſ baptiſta. Non
enim ad menſuram dat dſ ſpm. De ipſo di filio loquebatur. cui non eſt datuſ
ſpſ ad menſuram. quia in illo inhabitat omniſ plenitudo diuinitatiſ; neq. eni
ſine gratia ſpſ ſci eſt mediator di & hominum. homo xpſ ihſ; Nam & ipſe dicit
de ſe fuiſſe proph&icum illud impl&um. Spſ dni ſuper me. propter quod
unxit me euangelizare pauperibuſ; quod enim eſt unigenituſ aequaliſ pa
tri. non eſt gratiae ſed naturae. quod autem in unitate perſonae unigeniti
adſumptuſ eſt homo. gratiae eſt non naturae. Confitente euangelio atq.
dicente; Puer autem creſcebat & confortabatur plenuſ ſapientia. & gra
tia di erat in illo; C&eriſ autem ad menſuram datur. & datuſ additur. donec

unicuiq. pro modo ſuę perfectionis propria menſura compleatur;
unde monet apoſtolus. Non plus ſapere quam oportet ſapere ſed ſape
re ad temperantiam. unicuiq. ſicut dſ partitus eſt menſuram fidei;
neq. enim ipſe diuiditur ſpſ. ſed dona per ſpm; nam diuiſiones donatio
num ſunt. idem autem ſpſ; Quod uero ait. rogabo patrem et alium para
cletum dabit uobis. oſtendit et ſeipſum eſſe paracletum; paracletus enim
latine dicitur aduocatus; et dictum eſt de xpo. Aduocatum habemus ad
apud patrem ihm xpm iuſtum; Sic autem mundum dixit non poſſe acci
pere ſpm ſcm. ſicut etiam eſt. prudentia carnis inimica eſt in dm.
legi enim di non eſt ſubiecta. nec enim poteſt. uelut ſi dicamus. iniuſti
tia iuſta eſſe non poteſt; mundum quippe ait. hoc loco mundi ſignifi
cans dilectores. quae dilectio non eſt a patre; et ideo dilectioni huius mun
di de qua ſatis agimus ut minuatur et conſumatur in nobis. contraria eſt
dilectio di. quae diffunditur in cordibus noſtris per ſpm ſcm qui datus
eſt nobis; mundus ergo eum accipere non poteſt. quia non uidet eum. neq.
ſcit eum; non enim habet inuiſibiles oculos mundana dilectio. per quos
uideri ſpſ ſcſ niſi inuiſibiliter non poteſt; Uos autem inquit cognoſcetis
eum. quia apud uos manebit et in uobis erit; Erit in eis ut maneat. non
manebit ut ſit; prius enim eſt eſſe alicubi. quam manere; ſed ne putarent
quod dictum eſt. apud uos manebit. ita dictum. quemadmodum apud
hominem hoſpes uiſibiliter manere conſueuit. exposuit quid dixerit.
apud uos manebit. cum adiunxit. et dixit in uobis; Ergo inuiſibiliter ui
detur. nec ſi non ſit in nobis. poteſt eſſe in nobis eius ſcientia; ſic enim a nobis
uidetur in nobis et noſtra conſcientia; nam faciem uidemus alterius. noſ
tram uidere non poſſumus. Conſcientiam uero noſtram uidemus. alte
rius non uidemus; ſed conſcientia numquam eſt niſi in nobis. Spſ autem
ſcſ poteſt eſſe ſine nobis; datur quippe ut ſit et in nobis. ſed uideri et ſciri
quemadmodum uidendus eſt non poteſt a nobis. ſi non ſit in nobis.

INCIPIT SERMO LXXV. DE EO QUOD DICIT. NON RELINQUAM
UOS ORFANOS UENIAM AD UOS USQ. AD ID. ET QUI DILIGIT
ME DILIGITUR A PATRE MEO. ET EGO DILIGAM EUM ET MA
NIFESTABO MEIPSUM EI.

Poſt promiſſionem ſpſ ſci. ne quiſquam putaret quod ita eum
dñs daturus fuerat uelut pro ſeipſo. ut non et ipſe cum eis eſſet fu
turus. adiecit atq. ait; Non relinquam uos orfanos. ueniam ad uos;
Orfani pupilli ſunt. illud enim grecum eiuſdem rei nomen eſt. hoc
latinum; nam et in pſalmo ubi legimus. pupillo tu eris adiutor. Grecus